



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 35. Laurentii Cozzæ Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

§. XXXIV.

*Inquisitionis Tribunal in Lusitania
reformatum.*

Hoc item anno Joannes V. Lusitaniæ Rex Inquisitionis tribunal ejusque potestatem, annuente ipso summo Pontifice, restrinxit, ac præcipue statuit, ut quilibet accusatus ad sui defensionem sibi Advocatum eligere, & ab hujus Tribunalis sententia appellare valeat, simulque ut lati judicii æquitas ante executionem rursus examinetur, petere possit. Eo fine Caussidici animo intrepidi, & in Inquisitionis negotio longe veratissimi constituebantur, cum autem supremus Inquisitionis Judex quosdam in libertatem asserere renueret, suo Officio amovebatur, donec ipso tamen præsentem, de reorum crimine nova haberetur cognitio; de cetero autem inter sexaginta septem a Coimbricensi Inquisitione damnatos nullus rogi poena, omnes tamen aut exilii, aut carceris, aut triremium supplicio multabantur.

§. XXXV.

*Laurentii Cozzæ Cardinalis
obitus.*

Præter

Præter Noaillium Cardinalem, de quo jam frequens occurrebat mentio, hoc adhuc anno ex Purpuratis tres naturæ debitum solverunt. Hos inter primus est Laurentius Cozza Montis Falisci die 31. Martii Anno 1654. natus. Septennis Patrem amisit, Matrem vero, cum annum ageret ætatis decimum tertium: suorum tamen Consanguineorum cura liberaliter educatus, in patria pietatis ac literarum fundamenta jecit. Vix decimum quintum ætatis annum egressus, in cœnobio Urbevetano Ordini S. Francisci Minorum Observantium nomen dedit, vocatus Laurentius de S. Laurentio della Grotta. Inde Caprarolam missus, sub Magisterio celeberrimi P. de Magliano, Philosophiæ, & Romæ in Monasterio Aræ Cæli Theologiæ studiis solerter incubuit: demum vero in variis Conventibus Professoris Theologici munus non sine magno applausu obiit: Ut vero iis contingere solet, qui moribus, aut doctrina ceteris antecellunt, ita Laurentius quorundam invidiam atque æmulationem in se concitaverat. Et quo magis apud suos Superiores, atque adeo ipsum Cardinalem Alexandrum Cibo totius Instituti Protectorem favore atque estimatione valebat, eo magis ceterorum

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

Vide supra
Tomo 68.
pag. 529.

stania
jusque
o Pon-
tatuit,
fensio-
ab hu-
re va-
equitas
netur,
ci ani-
nego-
antur,
is Ju-
fferere
r, do-
eorum
; de
eptem
natos
n aut
m sup-
is
ræter

Sæc. XVIII. livorem contraxerat: Specie igitur
 A.C. 1729. honoris Roma Viterbium dimittitur,
 ut illius Cænobii Guardianus esset, ibi
 tamen a Cardinale Urbano Sacchetto
 hujus Civitatis Episcopo tanti habeba-
 tur, ut in ejus Confessarium & Theo-
 logum assumptus, atque inter ejus fa-
 miliares receptus illum sæpius Romam
 comitaretur. Postea in comitiis sui
 Ordinis Definitor Romanæ Provinciæ,
 & paulopost Visitator Generalis electus,
 Bosniam & Dalmatiam lustravit: inde
 vero Romam redux, otium, quod da-
 batur, in Theologia consumere statuit,
 sed anno vix evoluto iterum Visitator
 electus, Mediolanensem Provinciæ
 solutiore disciplina ad veterem Insti-
 tuti sanctimoniam feliciter reduxit.
 Hoc munere defunctus, Romæ Con-
 ventui Aræ Cæli præficitur, triennio
 autem sui Officii exacto, commentaria
 Historico-dogmatica ad librum de hæ-
 resibus S. Augustini, necnon vindicias
 librorum D. Dionysii Areopagitæ exa-
 ravit, easque Clementi XI. nuncupa-
 vit, a quo Pontifice Consultor S. In-
 dicis Congregationis, & Qualificator
 S. Officii renuntiatus, in Provincialibus
 comitiis Præses totius Romanæ Pro-
 vincię eligitur, tanta apud suos exalti-
 matione auctus, ut quicquid arduum
 emergeret, ibi Laurentius in consilium
 &

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

& operam adhiberetur: nunquam vero
utilius pro sui Ordinis incolumitate
opem suam impendit, quam dum ex
litteris Jerosolyma allatis nuntiaretur,
inter illius Cænobii Fratres tam acer-
bum exarsisse dissidium, ut suum quo-
que Guardianum Virum gravem, irre-
prehensibilem, severiorem tamen, im-
mani protervia inde ejicerent. Has
ergo turbas, ut sedaret Laurentius, a
suo Generali feligitur, qui etiam ar-
duum hoc opus sine tergiversatione in-
se suscepit, atque in S. Templi Custo-
dem, & Jerosolymitani Cænobii Præ-
sidem nominatus, longinquum iter ar-
ripuit. Quamprimum ad Sacra hæc
loca pervenerat, mox consueta morum
comitate, prudentia, & moderata se-
veritate collapsam disciplinam repara-
vit, & pristinam inter Fratres concor-
diam restituit: Nec his contentus, in-
super dissensiones, quæ inter Maroni-
tas, & Jacobum Petrum Antiochenum
Patriarcham diu fervebant, feliciter
extinxit, ac Vicarii Apostolici digni-
tate auctus præfatum Patriarcham a
Maronitis jurisdictione exutum, suæ
Sedi reddidit: Restituta igitur animo-
rum consensione ruinam proxime im-
pendentem, simulque funestum, quod
haud temere timebatur, schisma, ab
universa Maronitarum Natione prospero
sane

Sæc. XVIII.

A. C. 1729.

fane successu propulsavit. Clarior
 tamen suæ pietatis specimen præbuit
 Laurentius, dum Samuelem Capesulis
 Patriarcham Alexandrinum eo adduxe-
 rat, ut hic ejurato schismate cum Ec-
 clesia Catholico - Romana sincero ani-
 mo sese conjungeret, & misso Romam
 Legato debitam Clementi XI. obedien-
 tiam polliceretur. His præclare gestis
 Laurentius a S. Congregatione de Pro-
 paganda fide Romam revocatus, a
 summo Pontifice Clemente XI. Vice-
 Commissarius Generalis totius Ordinis
 sui renuntiatur, atque ab Innocen-
 tio XIII. Examinator Cleri Romani no-
 minatus, comitia totius Ordinis, quæ
 per viginti ferme annos Romæ inter-
 missa fuere, rursus indixit, in quibus
 præsentem summo Pontifice in supremum
 universi Ordinis Præpositum eligeba-
 tur, non raro ab Innocentio XIII. ho-
 norifica salutatione recreatus, morien-
 tem vicissim Laurentius piis juvit offi-
 ciis, & cum illo salubres de rebus Di-
 vinis sermones usque ad ejus obitum
 miscuit. Electo autem Benedicto XIII.
 inter Presbyteros Cardinales cooptatus,
 pluribusque S. Congregationibus ac-
 censitus est, ob assidua tamen valetu-
 dinis incommoda ferme nunquam e
 suo Conventu prodire poterat; unico
 hoc ei relicto solatio, quod ingenio
 præ-

præstans e privata sua Bibliotheca literarios fructus colligere, ac eruditorum consortio frui posset, plura etiam antiqua numismata, admodum rara ac selectiora habebat, quæ ex Jerosolyma aliisque Orientis urbibus, quas difficillimis itineribus inviserat, magno studio conquisivit: Demum ætate, curis, ac morbis confectus die decima octava Januarii anno ætatis septuagesimo quinto & sui Cardinalatus secundo, decessit, sepultus in ipsa Ecclesia S. Bartholomæi in Insula. Præter libros jam recensitos evulgavit etiam dubia selecta de Confessario sollicitante, Historiam Polemicam schismatis Græcorum Vol. IV. & tractatum dogmatico - moralem de Jejunio.

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

§. XXXVI.

Joannis Baptistæ Cardinalis de Salerno decessus.

Ejusdem Mensis die trigesima Joannes Baptista Salernus, Cosentinus vivere desiit. Hic nobilibus Parentibus Dominico, & Cæcilia Connestabili Ciaccia natus, pietatis & literarum tyrocinnium in patria posuit. Adulescens non sine suorum oppositione Societatem ingressus, ut ad altiores Disciplinas gradum faceret, Romam mis-